Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2851
Quelle:
Copyright:

quorum nihil *Ivoni* repugnat, qui anno demum 1115. e vivis abiit. Adi *Whartoni Auctarium* in *Jac. Usserii Hist. dogm. Controv. de Scripturis et Sacris vernac. Lond.* 1690. p. 359. et 395. ubi leges, in *Cod. Lambeth.* praecedere VIII. *Capita* de Chori Officiis, quae lucem hactenus non adspexere, deesse praeterea in Editis *C. ultimum Micrologi*, quo de Missae singularumque ejus partium Autoribus agitur. Atqui et istud C. et VIII. illa praecedentia a nostro quoque *Cod.* absunt. Quanquam suspicer *C. ultimum* ab alio aliquo temere adsutum, cum jam per operis decursum passim Autores partium Missae commemorentur. Probae ceterum lectionis est Noster, maloque cum illo c. 2. *Deo dicatae*, quam *dicati*. C. 4. *dicere deberemus*, quam *debemus* &c.

DCCLXXXIX.

550 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 162. 4. nitide scriptus, rubricisque distinctus complectitur sequentia: I. praemisso *Capp.* LXIV. indiculo, *Incipit migrologus de ecclesiasticis observationibus, in primis de officio missę.* Absunt igitur VIII. illa de Officio Chori *Capita*, quae in *Cod. Lambeth.* praevia se reperisse testatur *Henr. Whartonus*, ut diximus ad *Cod.* praeced. Indiculus *Capp.* ad verbum cum eo conspirat, qui in *Melch. Hittorpii* Collect. Liturgica, *Colon.* 1568. p. 436. f. legitur. Initium Textus est: *Presbiter cum se parat ad missam iuxta romanam consuetudinem* &c. C. 2. habetur: *deo dicatę* pro *dicati*. C. 3. *collectam populi multitudinem* pro *collectam populi*. C. 4. *dicere deberemus* pro *debemus*, et *aliquam traditionem* pro *rationem* &c. quae dignum probant, ut totus cum Editis conferatur. At vero pretium ei ex fine adcrescit; dum enim *Jac. Faber Parisiis* 1510. et *Job. Cochlaeus Mogunt.* 1549. XXII. duntaxat *Micrologi* Capita ederent, *Jac.* autem *Pamelius Antverp.* 1560. ea ad numerum LXII. augeret, *Codex* noster *duo* saltem superaddit nec in *Cod. Lambethano* contenta Capita, quorum Summaria ex Indiculo *supracit.* adscribo: LXIII. *Quot dominicę dominico aduentui sint ascribendę.* LXIIII. *Quot ebdomadę dominico aduentui deputentur.* Caput prius incipit: *Sunt quidam qui primam dominicam de aduentu domini adeo aliquando anticipant. ut predictam preparationis dominicam non quintam sed sextam ante natalem domini ponant* &c. Alterum: *Legitur etiam a sanctis patribus mistica auctoritate sancitum ut aduentus domini non nisi trium ebdomadarum completione celebretur.* &c. Addit tamen *quartam partim attingendam*, idque autoritate *Gelasii*, *Gregorii*, *Hilarii* et *Hieronymi* utroque Capite stabilit. Fateor, dum lectionem ingrederer, venisse mihi in mentem *Bernonis* Abb. *Augiens.* cujus in hoc argumento *Epistolam ad Aribonem* Archiep. *Mogunt.* vulgaverat Cl. *Pezius*

Thes.